ORATIO

IN

Scholis Theologicis

HABITA AB

EDMUNDO CASTELLO S.T.D.

ET

LINGUÆ ARABICÆ

IN

Academia Cantabrigienſi

PROFESSORE,

CUM

Prælectiones ſuas in ſecundum Canonis Avicennæ Librum auſpicaretur, quibus via præſtruitur ex Scriptoribus Orientalibus ad clarius ac dilucidius enarrandam Botonologicam S. S. Scripturæ partem, Opus a nemine adhuc tentatum.

LONDINI,

Typis *Thomæ Roycroft*,& proſtant apud *Sam. Thomſon*, ad inſigne Capitis Epiſcopi,in vico vulgo vocato Duck-lane. MDCLXVII.

Ampliſſimo Viro

Civitatis *Londinenſis* Patri meritiſſimo

THOMÆ ADAMS

Equiti aurato & Aldermanno, Patrono ſuo colendiſſimo.

PAtere, Vir ampliſſime, ut ad T. provolvam pedes hoc quicquid eſt munuſculi, quod ortum habet ſuum a munificentia T. maxima, qua Academiam Cantabrigienſem tanto, tam ingenti Tu omnium poſt homines natos primus donaſti beneficio, quo nullo unquam ævo gaviſa eſt antea. Quin & hoc donum Deo Offerre non gravaris, tempore Auferendi abſumendique dolentiſſimo, medias inter Urbis flammas, in quibus Tu jacturam paſſus eſt, vix aut ne vix quidem, cum aliis æquandam.

At quænam hæc profuſio non dicam, ſed fides? quo plus demitur eo amplius atque liberalius Dare אין זאת תורת האדם *at*

noſtri eſt: nec ulla habet ſpes Chriſtiani certiora tandem etiam Abundandi media. Ex præcepto Majorum hoc, אם רואה אדם שמזונותיו מצומצמין יעשה מהן צדקה *Si viderit quiſpiam alimenta ſua (jam) abſumpta, faciet ex illis eleemoſynam.* Gittin 7. 1. *Super Aquas ſeminare nobis in mandato dedit Sapiens Major; eſt hoc ſatis ferax elementum. At ſuper Ignes ſementem facere, inauditum videtur dictum, nedum praxis: quam Tu exercere auſus es Solus. Qua in re, Opus exegiſti, non privati hominis, ſed Rege M.* Jacobo *noſtro, aut* Julio Cæſare, *ſummis atque eruditiſſimis mundi Imperatoribus digniſſimum; quo non os populi, ſed procerum reipublicæ literariæ in æternum meruiſti, poſt depoſitas mortalitatis exuvias, perpetuo cum Deo (quem Tu hic imitatus es unicè.) conſortio fœliciſſimè fruiturus; quod animitus vovet & precatur*

A. T. cultor ſtudioſiſſimus

Edmundus Caſtellus.

Reverendi, Clariſsimi, atque Doctiſsimi Viri.

MOrbidum ac valde luctuoſum miſerrimi Cantabrigienſis populi ſtatum, quo (proh dolor) ſecunda jam vice, etiam continuis annis, abacta atque profligata hinc fuit proles Academica, anno ſuperiore hoc ipſo in loco mœſtus deploravi. Triſtiſſima rerum facie nunc tandem (benigniori Numine) in voces canentium (pro more temporis) lætanter mutata, والقوس زكوة (ut loquuntur Arabes) arcu in retrorſum verſo, valetudinis pariter & incolumitatis veſtræ, poſt malignî ſyderis والرجوم السهيب combuſtionem ut (noſtri volunt

volunt philoſophi) a diſcinctorum morum חבערה accenſam, ex arcta ſuperiora inter & inferiora hæc ortam harmonia, non minus æquum eſt ut vobis hodie gratuler felicem redintegrationem. Vivimus (Academici) vivimus, & in Senatum noſtrum, in Scholas non Muſarum tantum, ſed ipſius Dei, Scholas dico haſce Theologicas venimus, non ut ſub Canaanæorum tyrannide Iſraelitæ olim, meticuloſi ac pudore ſuffuſi (meminiſtis ſat ſcio ejuſmodi temporis) ſed alacres vultu hilari, manibus pedibusque læte plaudentibus.

Πᾶσα δόσις ἀγαθὴ δώρημα, (ut magnus Apoſtolus) primario eſt & originaliter a ſolo Deo, ſubordinate autem, mediantibus haud raro hominibus. Donorum quoque diverſitates ſunt; Naturæ quædam, a primo nobis traducta Adamo; alia Gratiæ, quæ a ſecundo proveniunt univerſa; nonnulla denique Beneficentiæ, magis particularis quidem, at eximiæ ac uſus nonnunquam latiſſimi, a viris magnificis collata, in quibus ſupra modum eminet tam Naturæ quam Gratiæ ſuprema culminatio: atque in his preſens hæc fixa jam, ac in perpetuum ſtabilita Donatio (quæ me huc hui! nimis occupatum alias non ſegnitur vocarit) quæ nobis

nobis non ſine fauſto nominis ſui omine, a tertio effluxit Adamo. Cujus eſt inſignis adeo atque incomparabilis bonitas, ut propterea apud ſuos in urbe noſtra (heu nuper maxima florentiſſimaque) ubiq; audit jure merito, Pater civitatis: nec non in rure atq; patrio ſolo, ubi prædia habet ſua, etiam Patris agit partes. Vos teſtor omnes, Auditores optimi, annon paternum affectum nos erga, matremq; noſtram vere oſtenderit; etiam hæc ipſa teſtabitur occaſio, conventus iſte qui hic ipſius cauſa congregatur. Quidni, communis Parens dicendus ille, qui præcipua, ne dicam omnia Imperii hujus loca fragrantiſſimo virtutis ſuæ odore ita ſuaviter perfuderit, qui pro Urbe, Academia, Patria, patravit talia? Adamus noſter fuit, qui non vitam tantum huic muneri primus dedit, ſed poſtquam per quatuor ferme annorum luſtra jacuerat intermortuum, felicem denuo reſurrectionem, atque firmamentum continuo duraturum. Nec præmii quidquam amplius cupit reportare, quam ut aliquando in cauſa ſit (quod illi in ore ſæpius) vel unum tantum lapidem fronti Goliæ Turcici, quo cadat tandem atque pereat, illidendi. Eſt hoc a Deo profectum ac mirandum vere, virum ab

Oriente

Oriente, ejuſve gazis minime ditatum, in linguis illius parum aut nihil omnino verſatum; nec Leberis, quos poſſeſſionum ſuarum atque bonorum ex aſſe hæredes faceret, deſtitutum, ſed prole beatum, numeroſa ſatis, at maxime pia, a nemine inſtigatum, proprio ſuo motu, literis hiſce favere, eaſdemque fovere a quam plurimis tam Cyclopice neglectis. Nec poſſum dicere quare: Cupiditate gloriæ ducuntur omnes, quibus ineſt non ratio tantum & Religio, ſed utriuſque Cauſa prima ac ſuprema: proinde non Homines, nedum Chriſtiani dicendi ſunt in mundo hoc inferiori, nec in ſuperiore Angeli, quibus languet aut deferveſcit iſthoc deſiderium. Hoc ego eo libentius dico & alacrius, quod mihi hodie habenda eſt oratio coram vobis viris Academicis, & quod adhuc multo magis, majuſque eſt, qui ea prognati eſtis Matre, cui a Celebritate nomen; id enim Cantabrigia ſonat Gothis, Hiſpanis, nec non Britannis vetuſtiſſimis. At quænam hæc Celebritas? Gloria hæc tanta, de qua loquimur? Ἄλλη δόξα ἡλίου καὶ ἄλλη σελήνης καὶ ἄλλη ἀστέρων inquit in cælum evectus Apoſtolus: ſic ego; Una eſt Dei gloria, alia Angelorum, Hominum denique alia.

Noſtra

Noſtra, ex ſcripturis, in Lingua præcipue ſita eſt; unde כבוד & לשון in arcanis literis idem. In uno idomate Conditoris noſtri celebrare laudes, honoris ſummum eſt faſtigium; in pluribus igitur quanto magis? Enim vero non vir tantum appellandus eſt ille unus ac ſingularis, ſed potius hominum coetus & Eccleſia. Tot ſuſtinet perſonas (Sancti Hieronymi verba ſunt) quot callet quiſpiam dialectos. Dona linguarum novæ progeniei (Chriſtianam intelligo) non antea deſuper data fuerunt, quam Unigenitus Dei filius illuc aſcenderat, in priſtinam ac primordialem exuſcitatus gloriam. Statui exinanitionis atque diminutionis ſuæ conveniebat munus conferre Prædicationis, non ita Πολυγλωτ[illegible]ίας, quaſi hoc magis inter Chriſti eſſet Regalia. Fuit ſane inter χαρίσμα ad templi ſpiritualis ædificationem ſpectantia maxime, nec omnino vulgaria, intimis ac præ aliis Illius κεχαριτωμένοις præcipue reſervata.

At at, quis curat vel legit hæc? Hæc non magis recondita, quam nauci æſtimata?

Vel duo, vel nemo. Turpe & miſerabile; quare? Ne Romanos & Græcos ſcriptores prætulerint Orientalibus. Et hoc quidem uſu venit haud infre-

quenter. Siqui forte in Occidentalibus hiſce authoribus exercitatiores evaſerint ac callentiores, ſi hujuſmodi ſcientiæ tantum quam ex illis poſſint expiſcari nacti fuerint, ut Magiſtri cluant, hui quam tripudiant! quam cor illis rite ſalit! quaſi omnigenæ literaturæ culmen & acropolin jam eſſent adepti. Cum revera חמול דמה ut cum *Elihu* loquar, heſterni ſunt, etiam Lyncæi quicunq; ſunt doctiſſimi, quibus nondum exorta eſt Ἀνατολὴ ἐξ ὕψους nullum ab Oriente, Hebræis ſcil. Chaldæis, Arabibus, Syris, Ægyptiis lumen, coœcutiunt haud parum. Pars mundi Orientalis Hebræis קדים dicitur: Liceat mihi cum hac gente ut ſemel quaſi Notarice ludam, quod tamen in ſeria ducet. Diviniſſima litera ק *Kof* (qua inchoantur plura Dei nomina (קנא, קונה, קודש, &c.) et integratur illud prius: קדמה enim Arabico-Samaritanis idem eſt quod יהוה cui etiam quam ſæpiſſime reſpondet) quantum præſtat G. Ruſticæ, & R. Caninæ; tantum præcellit literatura Orientalis tam Græcæ, quam Romanæ. Eſt hoc ὁμολογούμενον notum & conceſſum; Omnis veri nominis Theologia, nec non cæteræ Artes quæcunque nobiliores, ab hiſce oris promanarunt primum:

mum : Unde illis Nabathææ nomen (نبت Arabibus eſt defluere, promanare) Ut quod res eſt vere dicam ; Abſurditates non ridiculæ tantum, ſed periculoſæ admodum, quas in quamplurimos libros invexerit linguæ unius Arabicæ (quæ mea eſt nunc temporis Provincia ſola) ignoratio, innumeræ ſunt, tota Anticyra dignæ, & à cunctis rite doctis merito exibilandæ. Nec minus explodendæ turpes quæ haud raro occurrunt in ſcriptis Orientalium hallucinationes, præſertim cum illis res eſt cum noſtris hominibus vel negotiis,propter craſſam ſuam in linguis noſtris imperitiam. Hoſce igitur ſcopulos, hæc ſaxa, qui cupit evitare, is ſociare debet Eruditionem,prout Imperium conjunxit familia Ottomanica,Orientis cum Occidente.Qui hoc fecerit,qui ſic literis Græcis & Romanis puncta addiderit Arabica, næ ille Omne tulit punctum : cui inſuper idem,eademq; de cauſa cum *Alexandro Magno* competat titulus ذو القرنين- Evolvantur, ſi placet, univerſa quæ ullibi extant apud Europæos Alphabeta : unicam tantum (ni fallor) ac minimam illam reperietis literulam cum puncto notatam. At in conſeſſu

hoc (ut ita dicam) ſerie hac Arabum alphabetica, ſunt literæ illorum (Aſſyriorum inſtar apud Prophetam,gentis haud longe diſſitæ) fere omnes Coronatæ: Tot Reges quot Senatores,ut de Romanis ille. At vero numerus hic multo major,tyararum (puncta ſic vocitant נִקּוּדוֹת) quam Literarum.

Mundi hujusce regnis quantum conducit hæc de qua jam loquimur cognitio, multa ſcripſerunt multi. Mihi ſufficiat (quod ſemper prius & antiquius) enarrare ſtrictim Coronæ quantum interſit Academicæ. Aurora ſemper habita eſt, quidni illius etiam regna, Muſis amiciſſima? Non hoc à me habebitis. En *Ariſtotelem*, *Hippocratem*, *Galenum*, *Cteſiam* propoſitis exemplis ubique confirmantes; Omnia pulchriora, ſuaviora, meliora, in *Aſia* quam in *Europa* reperiri. Intra terram, Minera & Metalla; ſupra, Plantæ atque arbores; dein Aer purior ac ſalubrior; Cœlum multo magis clarum & ſerenum: Primum ut Mercatoribus,alterum Medicis, ultimum Mathematicis atque Aſtronomis confert admodum. Obſervavit ante me, magnus nuperorum Theologoaum antiſtes, vir tam doctiſſimorum Regi ſuo fidiſſimus, quam fidiſſimorum doctiſſimus

mus, Doctor *Holdſworthus* ὁ μακαρίτης, Collegii *Immanuelis* Magiſter meritiſſimus; Inter Patres, Latinis præcelluiſſe Græcos, atque in his maximi nominis viros ex Scholis *Alexandrina*, *Antiochena*, viciniſque locis prodiiſſe. Primos inter eminet S. *Hieronymus*, qui per aliquod tempus commoratus eſt in terra ſancta: Inter poſteriores, ſtupendum reconditiſſimæ eruditionis miraculum M. *Origenes*. Quibus addo Pacis non minus quam cultioris literaturæ conſultiſſimum, S. *Theophilum*, cujus opera quædam olim habui Æthiopice, quin & alia nec pauca quam elegantiſſime ſcripſerit. Atque ex hiſce tribus diſcatis omnes.

Sed à Locis ad Linguam, quæ in illis omnibus præcipue obtinet, Arabicam ſc. feſtinat oratio. De cujus Antiquitate, Amplitudine, Suavitate, Facilitate, Neceſſitate atque Utilitate ad omnes omnino Artes, Dialecticam, Arithmeticam, Hiſtoricam, Chronologicam, Chorographicam, Ethicam, Philoſophicam, Mathematicam, Medicinalem, Aſtronomicam, Theologicam, conſulantur tres *Erpenii* Orationes; aliæ item *Cl. Pocockii*, *Celeber.* D. *Tho. Greaves*, *Matth. Paſſoris*, *Viti Wolfri*, atque cæterorum quæ ubique proſtant in hujus Linguæ contextæ laudes.

Hoc

Hoc interim puto ſumendum pro conceſſo, poſt illa omnia quæ ab hiſce tantis viris non minus docte quam copioſe ac largiter ſunt prolata, fas erit mihi liberius aſſeverare; Linguam hanc quantum ad cunctas ſupradictas proprietates, ab aliis ſub cœlo omnibus palmam prærepturam: Poſtquam hoc præmiſerim, Hebræam, Chaldæam, Syriacam, Samariticam, atque Æthiopicam fore omnes cum Arabica ejuſdem familiæ domeſticas; nec magis inter ſe differre, quam a Latina diſtat Italica, Gallica, Hiſpanica, ſive Portugallica. Tum illud præterea mihi eſt propoſitum, non invadere in aliorum labores, nec falcem meam immittere in alienam meſſem, præſertim cum ſegetum ſatis habeam à nemine, niſi quam pauciſſimis quibus ego communicaverim, adhuc demeſſarum. Nihil cupio quod domi naſcitur, nihil tritum, vulgare, vel a quopiam quod ſciam antea dictum, in medium proferre; quo nomine gratior forſan erit & acceptior futurus ſermo, brevior certe & contractior. Modo hoc unum prius conſequar, venia ne indignus videar, cogente me ad illud materiæ hujus ratione, ſi Enarratoris potius quam Oratoris in ſequentibus agam munus.

Quædam

Quædam ſolummodo rerum capita ſummatim perſtringam primo. Quam ampla eſt & copioſa Lingua Arabica, nunquam ad oculum conſtiterit magis luculenter, quam ex Lexico ingenti quod in manibus noſtris tam diu hæſerit ac dolenter; ubi ſæpe videre eſt, quinque linguas alias non quintam ſpatii portionem uſurpare, quam ſola tenet hæc unica; nec mirum, cum ex quatuor mundi partibus, eſt una tantum, cui iſthæc eſt ignota; in reliquis, Iſmaelitica hæc (ut vocitatur) lingua non ſolum intelligitur, ſed unaquæque gens *Anglica*, *Germanica*, *Gallica*, *Polonica*, *Suevica*, *Danica*, at præ aliis *Hiſpanica*, quamplurimas voces Arabicas una cum ſuis vernaculis habent commixtas.

Hic minime tacendum arbitror, quod neſcio an quiſquam adhuc animadverterit; Apud Arabes dictiones extare ſatis multas, quæ integras ſæpe includunt & complectuntur ſententias; rerumque innuunt cauſas, indicationes, effecta, &c.

مِقْلَمَة Eſt modus pectendi antrorſum bregma verſus, qui priſcis habitus eſt optimus.

زَادِم Comedere uno die carnem, ſecundo mel, tertio lac, &c. quod pluribus de cauſis prioribus illis mundi gentibus etiam in uſu fuit. وَاصِرَة

قاصِرة Dicitur, Mulier quæ mariti amore adeo flagranter ardet, ut præter eum intuebitur, vel alloquetur neminem.

رِبْصة Tempus conſtitutum, intra quod marito non redeunte, nubere alteri uxor poſſit.

اِسْدَاد Percuſſio caudæ arietis, libidinis incitamentum, quo tolleret eam coeundi ergo.

سَمَّ Caudam ſuam ſuſtulit camela, jactavitque, ut indicaret ſe pregnantem, ne mas coiret.

قَيْل Somnum capere meridie, & quæ conſequuntur mala v. 2 *Sam.* 4.7. Quid quod Verba habent propria atque peculiaria, quibus univerſos rerum, actionumque modos, geſtus, habitus, &c. particulariter ſolent indigitare. *v. g.* Incedere capite elato, demiſſo, vergente antrorſum, retrorſum, in latus dextrum, ſiniſtrum; greſſu ſubſultante, claudicante, plano, inæquabili, feſtino, tardo; more jactitantis, ambitioſi, ſuperbi, compoſiti, gravis, ſtrenui, magnanimi, deſpondentis, viribus deficientis, & *ſ.* Conſulant (quibus otium eſt) præter ſexcentas alias hac una de re, pauculas haſce voces

voces قنبر , قمبيل , قمص , قلحزة , صملط ,
قعبل , قعول , قس , قرف , قرصع , قرقطة , اقفد ,
تقهوس , اسمم , رتك , رقص , ارقل , راءبلة , تقبل ,
قطف , قطو , ضيطان , قحلز , قزل , قار , تقوع ,
مرجاح , قعثلة , قعفر , قعف , اقلعث , اقلعد , قلع ,
رهيل , رها , رهواج , ترهبل , ردي , رجاف , ارتجاز ,
رسم , ارنف , رنا , ترمل , ريس , روس , راس , رهوف ,
رقف , رضم , رافنة , رفل , ارعف , رعس , رسف ,
تلاوة , رحف , تتابع , تبج , اسمر , ترقيد

Deinde, quanto eſt ad omnes Scientias, tam Divinas quam Humanas adminiculo, abunde commonſtrant vix numeranda authorum plauſtra, qui non minus erudite ac nervoſe, quam affatim atque fuſiſſime eas contrectarunt. Quorum ediderunt catalogum *Licentiatus Caſtelius* in Bibliotheca ſua Laurentina, Clariſſimus noſter & nemini ſecundus D. D. *Pocockius*, Doctiſſimus *Gerhardus*, *Johannes Voſſius*, atque nuperrime omnium Diligen-

tiſſimus D. D. *Hottingerus* in Bibliotheca ſua Orientali. Quibus ſubjungam (ut innumeros illos taceam,ne nomine tenus nobis communiter notos, quos habet author القاموس) paucos hosce,multos,inter alios à celeberrimo *Bar Bahlul* memoratos & prelo (ut reor) nondum commiſſos. Ex Patribus igitur apud eum hi clarent maxime; *Gregorius Theologus*, *Nyſſenus*, *Juneſius*, *Ephraim*, *Irenæus*, *Cyrillus*, &c. & horum,prout etiam *Platonis*, *Ariſtotelis*, *Dioſcoridis*, *Galeni*, *Aetii*, *Livii*,&c. quam creberrime opera nonnulla habentur apud *Arabes*, *Syroſque*, ab *Europæis* nunquam omnino viſa. Ex Philologis, Philoſophis,Hiſtoricis,Medicis, &c. ſunt hi inter *Nabatæos* magni æſtimii, *Bar Seruſhai*, *Zachariah*, *Raban*, *Youbloyo*, *Benyamin*, *Banteditus*, *Beſunandus*, *Anonius*, *Muſius*, *Theſouch*, *Meſui*, *Rhaſis*, *Bar Serapion*, *Bar Dacnono*, *Denouſa*, *Maroun*, *Narkion*, *Jeſu Boucat*, &c.

Miſſis autem nominibus, de Uſu hujus Provinciæ quantum ad tres præcipuas ac nobiliſſimas quæ ubique apud omnes gentes maxime obtinent facultates, Juriſprudentiam ſc. Medicinam,atque Theologiam,nova quædam necdum propalata vobis proponam breviter,& offeram humiliter ulterius perpendenda.

I. De

I. De Jure primum, tam Civili, quam Canonico, quantum decedit luminis ex Orientalium ſcriptorum inſcitia vel hinc conjiciatis, quod apud hos extent adeo multa de primis mundi Imperiis, nec non de primitivarum in Oriente ac Meridie Eccleſiarum Canonibus, Conſtitutionibuſque nobis quidem vulgariter inauditis. Leges Aſſyriorum, Chaldæorum, Medorum, Perſarum (quarum in ipſo Dei eloquio ſæpius clareſcit mentio, à prima Piſdadæorum familia, qui Juſtitiæ publicæ cultores habentur primi (illorum id ſonat nomen) quod ſylveſtrem ac ferinam hominum vitam ad virtutem ac humanitatis mores compoſuerunt, inde uſque per tot annorum ſecula, nos plane latent univerſa. Hujuſmodi eruditionis in hac Profeſſione uſum, en duo teſtes (inclyti hujus artis filii) *Seldenus noſtras*, & *Bodinus Gallus* ſuo experimento nobis dederunt confirmatum.

II. Quid quod ad artem Medicam, adeo neceſſaria eſt hæc lingua, ut propter ejus inſcitiam haud raro vitæ jacturam perpeſſi ſint ægroti dicam? utinam non aliquoties etiam ſani. Id quo melius innoteſcat, notatu dignum erit, doctiſſimorum Medicorum preſcriptiones ſæpiſſime ex ſcriptori-

bus Arabicis, qui hujus facultatis Evangeliſtæ vulgo audiunt, eſſe deſumptas. Hoc à fide digniſſimis expertiſque viris accepi olim ; Præcipua atque optima noſtra pharmaca, antidota, emplaſtra & ſimilia per omnia fere eadem eſſe, quæ occurrunt apud Avicennam: Cujus authoritas infinito plus valet apud *Afros* & *Aſianos*, quam apud *Græcos* vel *Europæos* quoſvis *Galenus* & *Hippocrates*. Notaverat non ita pridem inſignis ac forte primus Chriſtianorum nuperorum Arabicans Medicus *D. Kirſtenius* ex Amato Luſitano ; Avicennæ interpretem mortiferum errorem introduxiſſe ثوم pro ثوم poſito ثوم pro ثوم hoc eſt, pro Allio ſomnum. Quam pernicioſe alii transfuderunt *Arab.* طباشير Spodium, jampridem obſervavit interpretum optimus, vere Fortunatus Plempius II. 147. Optandum ſane ut intra tam anguſtos fines conſtitiſſet hoc malum. Hujuſmodi errorum aliquot decades, ne dicam centurias erraſſe magnos viros, nullo vel quam exiguo negotio commonſtrarem.

عضص autor Camus vertit الكروياء يمنية *Alkerowyao Yamniyaton:* Aſt quod hoc Latinis ? Cervus Jemamites

Jemamites inquit D. *Gigg.* Asinus in unguento, ut dici solet, pro semine Carvi, Cervus; pro Grano, jumentum: An risum teneatis? Quis est vestrum homo qui petenti filio suo panem, det lapidem? Aut piscem petenti, anguem? notum cujus hæc sunt verba: At hoc non insolenter faciunt non Interpretes nostri tantum, sed etiam illorum magistri, nempe Lexicographi.

قصدم alicubi nobis commendavit princeps Avicenna. Quid hoc quæso? Est medicamenti genus inquit idem author. Consulo locum *Avic.* I. 168. 31. etiam antiquiores Arabes, & comperio manifestissime esse nomen arboris piciferæ.

Ab eodem principe nostro, nec semel propinandum nobis datur atque commendatur زرنيخ *Zarnichon, hoc est*, Arsenicum, propter affinitatem vocis, forte, & uti alias possit significare, ita Carmonensis, Bellunensis, &c. at Arsenicum venenum est lethale ac præsentaneum. Pro زرنيخ lege زرنيخ *Lat.* Vernix, errore admodum proclivi, ز pro و salva protinus erunt omnia, & summe concordantur cum iis quæ habet Dioscorides, aliique,

qui

qui de ea ſcripſerunt. Similiter دروني eadem de cauſa Doronicum vertitur, quod omnibus notum eſt venenum; دروني vero contra eſt alexipharmacum: Quid igitur? Eſt certe ſpecies Gingiberi, aliis Mechini, quæ Bengalenſibus conſona voce dicitur *Adrach.*

Fontes, ejuſmodi præſertim qui totius mundi conducunt beneficio (qualis ille *Gen.* 2.6. ſecundum Syros & *LXX*) lethali veneno inficere, quam fœdum ac deteſtandum merito, innuit ſatis Sanctus paroemiographus *Proverb.* 25. & *Lege XII.* Tabularum cautum erat olim. Quid autem eſt hoc aliud cum tam turpiter, tam exitioſe cadunt ac labuntur ipſi Doctores coram diſcipulis ſuis.

حب السمنة ſuas pariter habet laudes: Quidnam vero illud? Eſt Cannabis ſylveſtris ſemen, teſte Avicenniſtarum noſtrorum hodie (ut puto) principe, Clar. *D. Plempio*, viro in quo cum ſumma eruditione candor & ingenuits ex æquo certat. Cui igitur ſymmiſtam ejus, nec minus ſuperioris ſeculi Lumen contraponam, *Lancelottum Brunum*. Eſt Loti *ſ.* Paliuri ſemen. Accedunt Nomen, Natura, Vires. Paliurus enim (cui convenit cum Ju-

juba

juba Sylveſtri) folia habet Alba, fructum inſtar piperis Pinguem, inducentem Somnum, quæ omnia ſatis indigitat dictio السمنة Calida eſt & humida; lapillos exerit potentiſſime; digeſtioni confert, pectoris pulmoniſque auxiliatur excretionibus. Quæ ἐητῶς eadem ſunt quæ Arabes habent de حب السمنة & Græci, Romanique ſcriptores de Paliuro. Firmant denique hæc omnia ingens *Bar Bahlul*, & inſignis *Bar Serapion*.

ازادد, خت *Azadaracht*, *al. Aradaracht*, *Ital.* (teſte *Plempio*) *Arbol* de li Pater noſtri. *Excel. Golio* Populus arbor; Convenit cum Ceterach, tam Medicis quam Pharmacopolis omnibus ante aliquot annos idem quod Phyllitis, nunc non paucis Aſplenum, vel Hemionitis; cum tamen, tum Phyllitis, tum Hemionitis, nec flores, nec ſemen, nec caulem gignit, Dioſcordi ſi adhibeatur fides. *Azadaracht* autem & flores habere & fructus conſtanter affirmant Arabes.

His addam ſeptem, vel octo voces Avicennales, quæ in ſecundo Canonis ſui libro occurrunt (cujus partis delectum fecimus, ut hoc in loco, ſi ita videbitur, publice prælegamus) à nullo adhuc vel Interprete

terprere, vel impreſſo Lexicographo explicatas.

1. بهمن Quod Cnici genus eſſe teſtatur uſus Perſicus, & ex collatione locorum apud authorem noſtrem, manifeſtiſſime conſtat, *Avic.* I. 141. *tit.* 204, 1, 2. II. 173. 23. & 183. 2. & 184. 36. & 203. 43.

2. داذي Grana non صنوبر pini, ut communiter Syri & Arabes, ſed hyperici, ut recentiores quidam, cui cum hoc per omnia convenit. Vide *Gorræi Defin. Med.* voce ὑπερικόν *Matthiolum*, *Bauhinum*, &c.

3. كرمدانه *Avic.* I. iitii 352. *tit.* *Kermedana*, ita Codex Romanus & Byzantinus: Leidenſis كردمانه eſt genus vitis, Græc. Ἀλωπεκίτις dicta.

4. نريقس *Narikas*, ſic in vetere verſione & Romano codice, in Byſantino نرثقس Bellunenſis نرنس eſt plane Ναρθήξ Dioſcorid III. 91.

5. سيادوران *Siaduranum*, *Avic.* I. iitii. 481. De varia ſcriptione vide *Plempium* ibid. *Elkharaſius* commentator Arabs, fatetur ſe non noviſſe hoc medi-

medicamentum; aliis eſt medicamentum Indum, nigrum, id quidem Perſis سیاه Mihi extra dubium eſt, Muſcum *ſive* ſuccum quendam eſſe Darenſem, qui illic oritur, vel inde affertur: دواران enim Nomen loci, de quo vide Lexicon noſtrum Hexaglotton in voce דָּרָן

6. قلقاس *Colocaſia*, *Avic.* I. iitii. 621. *tit.* De qua prolixe præcellentiſſimus D. D. *Plempius*, qui ſatis aperte tam neotericorum, quam veterum hic prodit ignorationem. Eſt genus کشوث ſive Cuſcutæ, quæ betæ radicibus adnaſcitur نحو اصول السلق ut cum Arabibus teſtantur etiam Syri.

7. رفاقین *Rifâkhini*, *Avic.* I. iitii. 666. *tit.* Dicitur eſſe medicamentum quoddam Perſicum, de quo nihil omnino comperio in Lexicis Perſicis, Arabicis, vel Syris; mihi certe videtur Cepa Aſcalonica; de qua vide *Bauhin. Hiſt. Plant.*

8. سجنمانج *Sjehnemâng*, *Avic.* I. iitii. 679. *Europæis* (quos ego adhuc vidi) omnibus hic plane

 hæret

hæret aqua. Eſt nomen herbæ regiæ, quæ Deorum fertur cibus, cujus ſunt duæ ſpecies, una برنجاسف *Avic.* I. iitii. 85. altera ابلنجاسف *hoc eſt*, ܐܡܒܪܘܣܝܐ *Ambroſia* dicitur, *Syris* ܫܘܪܙܐ ܕܘܪܩܐ ܘܚܪܘܒܐ Hæc non ſine multa indagine apud voluminoſum *Bar Bahlul* inveni tandem.

Denique (ne vos ab iis nimis diu detineam quæ momenti ſunt adhuc majoris multo) صامريونا vox eſt quæ apud Medicos Orientales occurrit quam ſæpiſſime; cujus fruſtra quæritur ſignificatio (non minus quam præcedentium) in *Cl. Golii*, *Giggei*, *Raphelingii*, *Germani*, *Bedwelli*, *Bruni* Lexicis, vel in alio quovis impreſſo Lexicographo. Varie ſcribitur, nunc صامريوما mox صامرثوما rectius autem, at rarius, ut primo habui صامريرنا Nec minus differenter vertunt incerti authoris noſtri interpretes; quibus eſt modo *Citrullus*, modo *Calamintha*, alibi (quod ſemper certiſſimum) retenta voce originali *Samerjuma*, idem *ſc.* per idem. Nodum hunc, ut ſine mora expediam, eſt Spina Græca. صامر enim non Arabibus tantum, ſed Chal-

Chaldæis, Afris, aliiſque, Spina eſt, & يونا ut omnibus ſatis notum, Græca: omnium maxime vicinum eſt vocabulum Hiſpanicum, *Schambrones*, in quo clare auditur Arabicum صامريونا His addo Syros præterea in Manuſcriptis ſuis libris ita transferre ſolete, & huic notioni Uſum ſimiliter per omnia quadrare; ὅπῃ ἔδει καὶ ἀρκεῖ δεῖξαι.

Verum ne extra oleas videar longius ferri وفرسا ركوبا غيري alienum potius, quam proprium inequitare equum, ut Saracenorum habet adagium, aut ſaltem aliubi eum magis quam juxta Nyſſam incitare; omiſſo tandem pede, ad hyperam, artemque (ut ita dicam) hyperphyſicam, atque ei quam maxime conducibilis, etiam valde neceſſaria ſit hæc quam nunc gero provincia, clarius demonſtrare atque apertius feſtinus propero.

III. Non eſt de totius Theologiæ corpore nunc dicendi locus, de unico & ſummo ejus fundamento, Sacroſanctis nempe Dei Scripturis, quanta potero brevitate (neque enim materiæ excellentia eſt, ſed auditorum aures, quæ orationis eſſe debeant menſura) verba faciam.

Dico igitur, & fidenter dico; Nullam esse apud *Europæos* ullibi (quantum ego viderim) impressam sacrorum Bibliorum versionem (quarum ipse teneo copiam non exiguam) quæ non plurimis in locis permulta habeat, Naturæ, Arti, Rationi, Contextui, & quod submissius, at non minus vere loquor, vel analogiæ fidei Theologicæ repugnantia; quibus omnibus vitiis, manum adferunt medicam, translationes Chaldaica, Syriaca, Samaritica, Æthiopica, præ aliis autem Arabicarum aliqua: nam plurimæ extant, præter Parisiensem à nobis excusam nuper; est *Alexandrina*, *Antiochena*, *Constantinopolitana*, *Arabico-Samaritana*, *Mauritana*, *&c.* Non dico omnium Sacrorum librorum integra. Neque enim hoc celandum, uti forsan nec communiter notum, innumeras inter illas quæ in Oriente inveniuntur ecclesias, vix aut ne vix una est aliqua, quæ tanta, tam grandi gaudeat felicitate. Sed quibusdam est tantum Pentateuchus, aliis integrum vetus Testamentum; aliis Evangelia; aliis Epistolæ cum Actis Apostolorum, aliquando & cum Apocalypsi; atq; hisce fere omnibus Sanctum Psalterium. Hoc vero illis contingit, vel ob præli defectum, vel permag-

nam

nam Christianorum omnium in illis mundi oris paupertatem; Quod ex duabus Epistolis à Patriarcha *Antiocheno* haud dudum ad me missis, intellexi. At hoc obiter, ex diverticulo in viam redeo.

Res modo propositas latius prosequi, alterius erit & temporis, & otii opus; paucis tantum in præsens ad singulas exemplis contentus, optarem animitus ut paucioribus fuissem instructus. Cum tamen facilius nihil sit, quam hac in re ad nauseam usque abundanter luxuriari.

1. Rerum Naturæ consentaneum dici potest (de particulari loquor) illud affirmare ut commune accidens cuivis creaturæ, quod vix fando auditum est unquam, certe non in illis locis de quibus est sermo? Ficum florere, & gemmas producere, tam *Palæstinam* incolentibus, quam *Asianis* omnibus ignotum arbitror, imo ab integerrimis viris in illis locis per longum tempus commorantibus, sæpius accepi.

Hoc tamen audacius asseritur in omnibus non *Europæorum* tantum versionibus, sed Hebræorum, etiam ultima illorum *Hispanica*, quam ante triennium, aut circiter excudebant. *Judæi* hic vere ficulnei. Non hoc est fidem nostram Ethnicis atque

que exteris deridendam propinare? Cautiores hic *LXX*, Syrus, ſed præ aliis omnibus Arabs. *Habac.* III. 17. ان التينة لا تحمل ثمرة *Etiamſi ficus non afferet fructum.* Vigilanter dictum; fructum proferre ſolet hæc arbor, haud ita flores. Huic porro concinit ſenſus maxime proprius Hebræi verbi חפרח Et ſunt ex priſcis, qui ne ſemel quidem *Florendi* ſignificatum ei quocunque in loco tribuere.

אלגמים ſive ut alias אלמגים Arborum quodnam genus ſit, lis eſt apud Hebræos non exigua; aliis eſt Cedrus, aliis Braſilium, in pleriſque Bibliis retinetur vox originaria, quæ ut nunquam fallit, nec quidquam omnino ſignificat. Multiplex fuit hujus ligni in ſacris uſus, unde facilius de الماهية (quod primum in omni re quærendum præmittit ſemper princeps noſter) & certius poſſumus pronunciare. Proficuus fuit, 1° Ad Templa conſtruenda, 2° Ad fulcra in gradibus aſcendendis ſupponenda, 3° Ad conficienda inſtrumenta muſica. Jam ad ultimum præſertim (quin & ſecundum) materies ineptiſſima fuit tam Cedrus, quam Bra-

Brasilium, propter densam, compactam ac glutinosam eorum naturam. Ex antiquioribus tum Syris,tum Arabibus, comperio intelligi hic evidenter satis الصندل *Sandalum*, de quo vide *Avic.* I. iitii.583.*tit.* Arbor est apud Indos in hunc usque diem admodum celebris ad Usus illos supradictos omnes.

Vocem חרגול *Levit. XI.* 22. à viris quibusdam doctissimis,non ita dudum valde controversam accepi, cujus tamen verum significatum, vel ringentibus modernis nostris omnibus,contra communes Verborum magistros, paulo ante in Lexico Heptaglotto excusum dederam. Illis, contra insecti hujus naturam, contra rationem, ipsamque Dei legem,Scarabæus; mihi, cum Septuaginta-viralibus interpretibus, Ophiomachus est. Et hoc satis indicat accuratissima, etiam plusquam Philosophica Crurum à *Mose* descriptio, animalis genus, & mundicies; & contra, prioris summa apud omnes gentes impuritas, & ad esum abominatio. Ex alia instantia nobis patebit opinor hoc melius: perinde est, ac si diceret quispiam; Ex omni Anserum genere libere comedetis, ex domestico, syl-

ſylveſtri, Manzico, Solano, & Gallinagine. At quid Gallinagini, cum Anſere? idem ſc. quod ſcarabæo cum locuſta; vel ſemidocto medico cum ignaro Theologaſtro; at hæc duo ſine diſcrimine.

2. In Arte Grammatica, atque Chronologica (ut de reliquis nihil dicam) plura occurrunt ἄτοπα, quam ut uno vel altero exemplo inſtare tantum vix operæ prætium omnino eſſe putem. Leviora illa, Plurale pro ſingulari; Maſculinum pro fœminino, & contra. Tempus, Modus verborum, unus pro alio, millies fere occurrunt. Illud certe conſideratu digniſſimum; Iis (ni fallor) omnibus, ſive paragrammatiſmis, ſive parachroniſmis, qui in Pentateucho inſurgunt crebro, medetur verſio (ut non cum aliis dicam textus) vel Samaritana, vel Arabico-Samaritana. De hiſce vide R. P. virum reconditæ ſcientiæ callentiſſimum, gentis ſuæ decus ingens, D. D. Morinum.

ב Ex uſu Arabum, etiam Hebræis denotare, qua motum ad locum, qua à loco, & per Ad, In, Verſus verti debere, nullus (quantum memini) vel Grammaticorum, vel Lexicographorum adhuc obſervaverit; at hoc in Sacris literis frequentius occurrit. 2 *Sam. V.* 2. *David* cum univerſo populo

pulo proficiſcebatur (inquit textus.) מן à Baale Judæ, ita communiter Verſiones modernæ omnes, *v.c. VI.* 2. cum ex collatione locorum certiſſime conſtat, eos illuc tetendiſſe, quod teſtatur etiam ipſe Deus, 1 *Par. XIII.* 6. ubi per ה locale exprimitur בעלה Conſule, *Gen. XI.* 2. *cap. XIII.* 3. & 11. *Cant. IV.* 1. & ſexcentis aliis Vet. ac Novi inſtrumenti locis, Præpoſitio hæc ita eſt neceſſario interpretanda. Sed hæc, & hujuſmodi alia innumera leviter tranſeo.

3. Quam ab omni Ratione alienum illud *Pſal. XLV.* 9. Ubi fragrans laudatur veſtium odor; quare? quia Aloe, Hebraice אהלות perfuſæ, quæ alias etiam dicitur eſſe Aromatum caput & principale, *Cantic. IV.* 14. Verumne? itane? quis veterum quæſo, vel neotericorum hoc unquam inſignivit elogio. Aloe amaritudinis habet ſatis, ſuavitatis autem (ut mihi videtur) nihil. Extra omnem dubitationis eſt aleam, tam à Judæis quam Chriſtianis perperam pro *Croco* poſita; ſic Arabs, Chaldæus, Syrus. Inter capita Aromatum à Talmudiſtis (judicibus hac in re poſt ipſum Deum fide digniſſimis) *Cheriſus c.* 1. recenſetur hic merito. Conducit etiam Croci uſus tam Lectis, quam in-

dumentis: Quid quod plura habent Arabes nomina peculiaria, quibus appellantur istiusmodi Vestes, vide عنكبة, رادعة, مردوع, مرتدع, ترقن, حرض, رقن Addicit non minus Notatio nominis, Indis enim appellatur Alad, ut & *LXX*, Αλωθ nempe *Crocus*.

Ut nihil dicam de illa Horti denominatione, *Cant. VI.* 10. cui à Nucibus nomen, id volunt indigitare גנות אגוז expositores nostri, in quo multos inter fructus alios, nulla est vel unius alicujus nucis mentio. Vide אגז in Lexico nostro.

Dicite obsecro illæ loquendi formulæ, רקוע גלה את הארץ Expandere terram, *Isa.* 42.5. הנשיץ החציר Pullulare fœnum, *Prov.* 26. 25. את הלשון Demergere linguam, *Job* 40.20. נזול הרים Defluere montes, *Isa* 64. 1. an cum ratione insaniant? non æque dicas; Ambulare lapides, vel Asinum volare? quanto melius sonant, tam ad nativum omnium istorum verborum sensum, quam ad aures sanorum hominum, Firmare terram, ne ullo unquam tempore concutiatur: *v. Psal.* 93. 1. & 96. 10. Pullulare gramen viride (unde per Inversionem 2 ultimarum literarum

rum חָצִיר efformatur Anaglorum (Grass) gramen vero jam aridum, resectum, (id proprie fœnum, ab Arab. فنا *Marcuit*, *evanuit*) progerminare denuo inauditum. Ligare linguam, quo capiatur, sive teneatur piscis, vel animal aliquod, dictio est auditu non adeo absona. Trepidare montes, vidimus in terræmotibus, nec raro id solet contingere. Atque his explicationibus favet doctissimarum, non minus quam antiquissimarum linguarum genius; suffragatur ratio, annuit materia. At Defluere montes, Expandi terram, &c. ita loqui

Non sani esse hominis non sanus juret Orestes.

לִיקְחֹת *Prov. XXX.* 17. Hebræi fere omnes satis ἀλόγως à לָקַח deductum volunt, & *Doctrinam* significare: Quæ dubio procul vox est Æthiopica, & per Metathesin, (quam ipsi concedunt Judæi, 1 *Sam. XIX.* 20.) *i. q.* לְקַח Senium, Presbyterium, à ΛΥΦ: Senuit. Unde Arabs cum *LXX.* Chald. Syroque, *Senectutem* vertit. Convenit sc. cum illo *Prov. XXIII.* 22. Quid quod oculo notantur (עַיִן חלעג ut initio versus) potius defectus corporales (senectutis curvitas, rugæ, &c.) quam animi dotes, actiones, officia. Deinde Patris est, non Matris, instruere liberos suos, &c. Deni-

que בני נשר filii aquilæ (ut in fine verſus) parentes ſuos etiam ætate grandiores magni æſtimant & erga eos pietate excellunt maxime, quæ *Eſraidis* eſt acuta obſervatio.

4. Sanctus Patriarcha *Jacobus* jam jam morituru*s*,ſingulis ſuis filiis varias diſpertitur benedictiones, & Judæ quidem, Regiæ tribus capiti, principaliores. Alias inter ingentes,pro inſigni beneficio illi legat (pudet φλυαρίας) Rubedinem oculorum, *Gen. XLIX.* 12. חכלילי עינים ita cum Hebræis recentioribus, pro more ſuo moderni noſtri fere omnes. At qualis eſt hæc (ſi Deo placet) benignitas? quanta hæc indulgentia? *Nabotho* alicui, aut biboſo *Elæ* congruentior multo,quam ſummo ſupra populum Dei dominatori. Nam cui eſt Rubedo iſthæc,niſi ebrioſis & diu ad pocula ſua commorantibus, Regum ſapientiſſimo ſi modo adhibeatur fides. Dicete vos omnes, Patres Fratreſque, quam procul remotum eſt hoc a contextus ſenſu, atque a mente viri pientiſſimi. Ut verbo dicam; Eſt *Splendor*, ſeu *Majeſtas oculorum*, non per vinum orta (ut inconſultius aliqui) ſed præ vino fulgens, quæ hic eſt intelligenda; Sapientiæ divinæ effectus fœlix, *Eccleſ. VIII.* 1. quam

pro-

propius inſpecta,habet omnis eximia virtus; & qualem in Judæ filii,Salvatoris nempe noſtri O.M. facie,etiam diebus carnis ſuæ renituiſſe ferunt hiſtorici.In quo igitur veriſſime adimpleta fuit hæc prophetia.Atque huic ſententiæ, cum Arabe noſtro & Mauritano,adſtipulantur interpretes antiquiſſimi,Hebræi, Græci & Latini.

Nehem. VIII. 15. עמן Oliva, Cupreſſus, Cedrus, a variis transfertur Hebræis, prout etiam הדר *Lev. XXIII.* 40. Decor, pulcher, amœnus, cum tamen utrumque idem, ac plane aliud denotet, ſcilicet, *Citrum*, ut præter Chaldæum, Syrum, Arabem, Uſus Judæorum hodiernus, & ipſa rerum inter ſe collatio ἀνθυπεξήτως probat.

Quam parum verba præcedentia premit illa omnium bibliorum noſtrorum lectio, *Mic. VI.* 14. ubi de morbo loquens inſaturabili, dictio ישחך Depreſſio tua redditur. At quid depreſſioni cum βουλιμία? quanto aptius poſt Chaldæum Arabs, Syrus, aliique veterum, *Morbus tuus*? ſiquidem Caninus iſte appetitus in medio eſſe corporis (ut in ſequentibus eſt) rectiſſime dicitur.

5 Ultima jam reſtat ſola, at graviſſima accuſatio, quam propter ignorantiam linguæ Arabicæ

inter

inter alias Orientales, verſionibus tam Judaicis quam noſtris æque intentavimus: de qua vos (Veniranda Capita) appello judices; An gravius ullum queat eſſe crimen, quam benigniſſimum humani generis Salvatorem, ut totius mundi אבדון deturpare, ac Deſtructorem maximum: Qui de ſeipſo teſtatum reliquit; Se nullius omnino peccatoris expetere mortem, ſed velle potius ut ſerventur omnes, & ad agnitionem veniant veritatis, ut Omnium eſſet Ille univerſalis Ἀπολλύων, quid tetrius, quidve tum Legi, tum Evangelio repugnans magis, dici poteſt vel excogitari? Ne audacior in hac imputatione videar, locum en profero, *Numer. XXIV.* 17. Orietur Stella ex Juda-& exparietabit, vaſtabit, deſtruet, perdet-quibusnam minatur adeo? horreſco referens; Omnibus filiis Seth; quod perinde eſt ac ſi dixiſſet (nugas neotericorum nil moror) omnibus filiis Adam, univerſo generi humano, ita cum Chaldæo, Eccleſia priſca. Bone Deus! Verbum ſalutis ac vitæ Tuum, hominibus non paucis, non multis, non malis, ſed ad unum Omnibus, ut fieret inſtrumentum mortis! æternum hoc vel ſanguineis deflendum lachrymis. At vero ut Angelus Sto Johanni, *Apoc. V.* 4. ſic ego; Nolite flere.

fiere. Inventus est enim auxiliante Deo, qui librum Mosis legere potis est melius, & intelligere; Arabs sc. eruditissimus,& ante eum Chaldæus callentissimus, & ut aliqui volunt, ante utrumq; Syrus omnium longe Sapientissimus (hujus nimirum versionis *Salomonem* Regem credunt communiter *Nabathæi*) qui omnes verbum יקרקר vertunt, ut felicius sic verius, non, perdet, destruet-apage afanias! sed *Dominabitur* hæc Stella, Solis instar *Dominabitur* supra diem & noctem, Ecclesiam triumphantem ac militantem; vel si magis placet, supra Mundum Superiorem, & Inferiorem. Quid quod قرقر Arabibus proprie significat, Fines patentis regionis, seu dominii. Hinc Græcis Κυρίβω Turcis Kurtermac & Sclavonis Kraclovati, permutatione admodum proclivi, ipsummet nostrum vocabulum Karkarovati.

Isaiæ LXV. 1. A non petentibus (inquit ipse Deus) נדרשתי requisitus sum; Quid hoc? Quærere & non Petere? ἀδυνατόν hoc censent tam Rationi quam ipsis *SS.* Scripturis Judæorum saniores, & quidem meram esse contradictionem; ut nihil dicam, quantum prævenienti adversatur O. Maximique Dei gratiæ. Hucusque dormitasse hic constat

constat nuperos Lexicographos omnes,quorum ne unus est qui adhuc adverterit (quod tamen certissimum.)דרש quod in Kal est *Quærere*, in Niphal est *Inveniri*. Unde verti debet, *Inventus sum* à non petentibus , & illico sana ac consona erunt omnia non optimæ tantum Antiquitati, sed Divinæ etiam bonitati,nec non dictamini ipsius Spiritus Sancti, *Rom. X.* 20.

Terram me videre jam sentio , unum si modo addiderim locum alium, at perinsignem. Animadvertit alicubi vir acutissimus, Galliæ phœnix, magnus Bochartus,in transferenda una tantum Talmudis linea,ter cæspitasse illustrissimum totius Germaniæ,ne dicam mundi Professorem. Sinite me in orationis calce, quatuor errores Judæorum pariter ac Christianorum fœdos valde,in quinq; regis *Salomonis* vocabulis transfundendis ut vobis retegam paucis. Occurrunt *Cant. IV.* 3. בפלח רמונים רקתך מבעד צמתך *Sicut* fragmen mali Punici, sic tempus tuum intra cincinnos, ita fere Rabbini *Samuel, David, A. Ezra* ; & (pace dicam tantorum virorum) ut pueri communiter cum pueris, hisce solis delectantur neoterici nostri,sic *Angli, Germani Galli, Itali, Poloni, Hispani*, aliique. In qua brevi pericope

pericope tantum non contra capita præcedentia omnia peccarunt haud leviter. Frangi, primum Naturæ, seu proprietati mali Punici conducit parum, certe ἀπροσδιορίας habet nimium. Sed esto cum aliis, Segmen : id melius. Qualis est quæso similitudo inter segmen mali Punici & tempora Sponsæ? Ut mittam ambages. Formositatem cœlestis sponsæ orator nullus vel disertissimus magis exacte accurateve potuit delineare. Verba sic verto; Sicut *balaustium*, seu *flos* mali Punici, in quo flore magis quam ulla in re alia (id quod asserunt testes oculati & vel doctissimi) Albedinem purissimam simul cum Rubedine mixtam natura ad vivum venustissime depinxerit : Dico, qualis est *flos* isthic maxime amabilis mali Punici, talis est mala (quæ allusio etiam tenet in variis linguis) mala tua extra velum; hoc est, Deposito velo tuo, suaviter ac lucidissime conspicitur oriens genarum color. Vocem antea laudaverat Sponsus, jam vultum sponsæ. Atq; ut hinc emergit sensus multo clarior, ita huic interpretamento favet lingua Syriaca, & perquam exigua mutatione ר pro ל quo nihil dialectis Orientalibus frequentius accidit, Arabica etiam, aliæq; plures. De his videndæ in Lexico Heptaglotto voces צמה, בער, רקה, פלח

Consultius expendantur quæ hic protulimus omnia, certo certius constabit istiusmodi elucidationes Arcani eloqui, minime dicendas meras esse tantum conjecturas, quæ tanto, tam certissimo nituntur fundamento, quale est non solum Inartificialium argumentorum optimum, Purissima sc. atq; Prima Antiquitas, sed Artificialium etiam, Proprius nempe & Naturalis Linguæ Genius; nec non maxime Genuinus atq; Planus loci ex Contextus harmonia sensus. Funiculus talis triplicatus (siquid ego intelligam) abrumpi nulla vi potest.

Inter permulta, pene infinita alia quæ addi præterea possent, paucula hæc delibavimus, non antehac evulgata, ex quibus diiudicare potestis haud difficulter, Lingua hæc de qua locuti sumus, quam Utilis, quam Benefica, quam Necessaria Clavis est ad aperiendam nobis Sanctam ipsius Dei Mentem.

Non igitur hæc (Academici) eo fine à me dicta existimetis, ut Spartam quam nactus sum ornem, vel (ut cum Apostolo) officium meum Illustre reddam; sed ut Veritas omnis, Cœlestis ac Divina præ aliis, Hujus & aliarum Linguarum ope, veluti Sol ex nube clarior erumpat & fulgentior.

Sed

Sed cum Apelle, De tabula manum, quod monet tempus, ne ex oratore tibicen (ut est in diverbio) fiam Arabicus. Ut vos igitur vobis reddam, Reverendi, Honoratissimiq; qui adestis Academiæ hujus Præfecti, Præstantissimi atque vigilantissimi Collegiorum Socii, Vos oro & obtestor omnes, ut Lecturam hanc, qua ingens Dei bonitas, & Viri ampliſſimi auspicato nos donavit spontanea Liberalitas, vestra non illibenter muniatis authoritate. Tuque (lectissima studiosæ juventutis Corona) constanti præsentia tua eum (qui post absolutum præsens illud magnum quod urget opus, tibi ان شاء الله aderit quam constantissime) diligenter digneris. Ut indies magis magisque floreant Literæ isthæ, quæ hic (ut fertur) nimium sunt adhuc peregrinæ. Arabia hæc nostra quæ tantis, tam opulentis affluit gazis, per te non maneat Deserta. En me paratum, fidi instar promicondi, ut lubens lætusque depromam atque proferam, quæ longo multorum annorum curriculo, laboribus indefessis, vigiliis assiduis, atque impensis congessi vix credendis.

Pro hæreditate accepi testimonia tua, inquit Regius

Regius vates; Abſit invidia, quod grandius videatur dicam ego; Non tantum Pro, ſed Præ hereditate mea, illius cum damno, cum jactura integra hoc feci; ut cum Illo vere ingemiſcam, Caſtrum meum à me jam amotum eſt longe.

Verumenim vero in Theſauris hiſce ſacratiſſimis uſque & uſque effodiendis, vel confodi penitus atque conteri non gravabor, imo lucro ducam, ſi cum horrido ac ſævo hoc fortunæ Centauro, me præliante & illius infauſtis ſpoliis diminuto, victrix evadat Reſp. Academica, cujus cauſa alacris offerar non ruinæ tantum, ſed & neci.

Sic mihi contingant vivere, ſicque mori.

Dixi.

F I N I S.